



DISPUTATIO JURIDICA
DE
PIGNORE ET ACTIO-
NE PIGNERATITIA:

QUAM

M. A. S.

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi, & Consultissimi Viri,

DN. GEORGII DAVIDIS LOCA-
MERI, J. U. D. ET IN ALMA ARGENTO-
ratis Universitate, Professoris celeberrimi, faculta-
tis Juridicæ p. t. Decani spectabilis. Præceptoris ac
fautoris sui æterno observantiæ cultu excipiendi.

Ad diem Maij.

*In Auditorio Ictorum exercitiij gratiâ
proponit*

JOHANN-HENRICUS Glandorff/
Spirâ Nemes.



ARGENTORATI,
Typis HOLLANDI FINDLERI,

Anno M. DC. XXIII.

39.
445.

1623, 4.



VIRIS
AMPLISSIMIS, CLA-
RISSIMIS, CONSULTIS-
SIMIS,

DN. JOANNI GEORGIO Krapffen
DN. FRIDERICO Gödelman
DN. GEORGIO Goller

} U. J. DD. Augustissi-
mi Judicii Camerae
Imper. Advocatis ac
respectivè Procura-
toribus meritissimis.

UT ET

*Amplissimo, Consultissimo, usu & experientiâ rerum
politicarum Prestantissimo Viro,*

DN. JOHANNI Glandorff / Illustris. Comitis de Er-
bach & Dynastarum in Brauberg etc. Consiliario gra-
vissimo Praefecto in Reichenberg dignissimo.

Dnn. Meccenatibus, Patronis, Fautoribus,
cognatis ac respectivè curatoribus suis
æviternùm colendis.

Hanc disputationem Juridicam in animi
grati observantisque σύμβολον

J. O. D.

Autor Resp.



DE PIGNORE ET ACTIONE PIGNERATITIA.

THESIS I.

Pignus^a in jure significat primò Rem^b pro securitate debiti obligatam: Deinde Nexum seu jus^c quo res illa obstructa tenetur: Deniq; ipsum contractum^d pignoris.

a) à pugno nomen habet, quod res quæ pignori datur, manu statim tradatur. *l. plebs 238. §. 2. de V. S. ubi vid. Gædd. Treutl. vol. 2. disp. I. th. I. lit. f. Wes. par. n. I. de pign. act. Mynsing. Schneid. Borcholt. §. creditor. 4. I. quib. mod. re contrah. oblig.* Unde probabilius fit pignus primis temporibus tantum in rebus mobilibus constituisse *d. l. 238. §. 2. de V. S. Obrecht. disp. de pign. th. 9.* b) *t. t. de distract. pign. l. res hypotheca 5. §. ult. de pign.* Et huic significationi præsertim convenit, quod idem illud pignoris vocabulum interdum sumatur generaliter, & sub se comprehendat etiam hypothecam *l. pignus I. pr. & §. I. ff. de pign. act. l. Pompejus 5. §. I. ff. in quib. caus. pign. atque sic inter pignus & hypothecam nominis tantum sonus differt. d. l. 5. §. I. ff. de pign. quo sensu statutum quod de pignore loquitur etiam in hypotheca obtinebit, & contrà. Wes. par. de pign. n. 3. Treut. vol. 2. disp. I. th. I. li. e. Coll. Jur. Arg. lib. 20. r. I. th. 4.* Interdum specialiter, ut hypothecæ opponatur: ita ut pignus in specie sit res (præsertim mobilis *d. l. 238. §. 2. de V. S.*) cujus possessio sit penes ipsum creditorem *l. si rem alienam 9. §. 2. de pign. act.* hypotheca verò sit res (maximè immobilis *arg. d. l. 238. §. 2.*) penes debitorem remanens, creditori pro securitate obligata *d. l. 9. §. 2. de pign. act. §. item serviana 7. I. de act.* c) *rubr. ex quib. caus. pign. vel hyp. tac. contr. & rubr. quib. mod. pign. solv. l. si convenit 4. de pign. act. l. contrahitur. 4. de pign. & t. t. qui pot. in pign.* Et ad hanc potissimum significationem

ficationē quadrat illa pignoris divisio, quod aliud sit Conventionalē, quod ex conventionibus & pactis hominum nascitur *l. veteris. 2. C. de prat. pign. l. Aristo. 3. ff. qua res pign. l. quamvis 17. C. de pign.* Aliud Legitimum, quod à lege etiam invito domino introducitur & tacitum quoque appellatur. *tit. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. contrah. Obrecht. de pign. 8. 108. & seq.* Aliud Testamentarium, quod testamento vel codicillis constituitur *l. non est mirum 26. ff. de pign. act.* quod plerumque fieri solet, cum testator legatarium legati nomine securiorem vult reddere, *l. Lucius 12. ff. de alim. vel cib. leg. l. fructus 9. ff. de ann. leg. l. cum hi 8. §. 16. ff. de transact.* Quin imò & in ipsis rebus legatis tacitè constituitur & eo ipso quo legantur, *s. 2. I. de legat. l. 1. C. eom. de leg.* & aliud denique Prætorium, quod ex facto & decreto Magistratus dependet. *t. t. C. de prat. pign.* & rursus dividitur in Prætorium propriè dictum; quod constituitur quando quis mero Prætoris officio in possessionem rerum alterius alicujus mittitur, *t. t. ff. de damn. infect. l. 1. §. 2. ff. ut legat. seu fd. serv. caus.* & in Judiciale; quod constituitur quando Prætor vel Magistratus aliquam sive à se iudice, sive à iudice pedaneo latam sententiam executurus aliquid ex bonis condemnati possideri vel capi jubet. *t. t. C. si in caus. jud. pign. l. si ex causa 9. ff. de min.* Ipsi autem conventionali pignori vel hypothecæ præcipuè congruit, quod hypotheca alia sit generalis, quâ omnia debitoris bona sine ulla certarum rerum determinatione obligantur, & bona non solum præsentia, sed & futura & postea à debitore quæsitâ continentur. *l. 1. l. obligatione 6. l. & qua 15. pr. & §. 1. l. Paulus 29. pr. ff. de pig. l. quamvis 2. C. eod.* Ubi commodè quæri potest: utrum generali hypothecâ omnium bonorum concessâ, etiam actiones nomina & jura veniant? *Aff. arg. l. si legatus 30. §. 1. ff. ad. SC. Trebell. l. bonorum 49. l. princeps. 21. ff. de. V. S. l. pretia rerum 63. §. 1. ff. ad. L. Falc. l. rem in bonis. 52. de acquir. rer. dom.* Alia specialis, quâ certæ quædam res vel certa bonorum pars obstricta tenetur *l. conventio 1. §. 1. l. & 15. pr. ff. de pign.* quâ speciali obligatione ea quoque obligata censentur, quæ ex re pignorata nascuntur atq; proveniunt, ut sunt partus ancillarum, pecorum fœtus, fructus prædiorum *l. Paulus 29. §. 2. l. grege 13. pr. ff. de pign.* excipiuntur tamen ea quæ ex silva pignori datâ nata factæve sunt, quæ pignori minimè cedunt *l. si convenerit 18. §. 3. de pig. act.* d) *l. hujus. 1. §. ult. ff. de pact. l. pignus. 1. pr. ff. de pign. act.*

Missa

Misſa autem nunc ſignificatione primâ & ſecundâ de eo pignore tantum videbimus quod ſignificat contractum b & plenius ſic definitur: quod ſit contractus c juris gentium d nominatur e bona fidei, f quo res creditori nexa ſeu obligata traditur g hâc lege ut ſoluto h ſeu quocunque modo ſublato debito, i eadem illa res in ſpecie reddatur. k

a) Quibus de pignoribus & hypothecis agitur tot. lib. 20. ff. & lib. 8. C. tit. 14. & ſeqq. b) Quo de agitur in §. ult. I. quib. mod. re contrah. oblig. & t. ff. & C. de pign. act. c) Et quidem verus: ut conſtat ex d. §. ult. I. quib. mod. re contrah. oblig. coll. rubr. I. de. oblig. quaſ. ex contr. nec quicquam nobis adverſatur, quod pignus acceſſorium contractuum aliorum dicatur arg. l. reſhypotheca §. de pign. iſq; confirmandi gratia accedat, ut ſc. ſecurior reddatur creditor de credito ſuo recipiendo ac debitor firmius ad id ſolvendū obligetur; nam hoc pro diverſa pignoris conſideratione verum eſt, quatenus n. in & per ſe conſideratur, contractus rectè dicitur, quia partibus eſſentialibus conventionem videlicet & συναλλαγμα l. ſolent. 15. ff. de. præſcript. verb. l. labeo 19. ff. de. V. S. conſtat; quatenus vero reſpectu aliorum contractuum quibus accedit conſideratur, rectè quoque adminiculum eorum appellari poteſt, arg. §. in omnibus 1. & §. fidejuſſores 5. I. de fidejuſſ. d) Quales ſunt regulariter omnes, qui non evidenter ex jure civili deſcendere monſtrari poſſunt l. ex hoc jure 5. ff. de Juſt. & jur. e) Nec enim in generali contractus vel conventionis nomine perſiſtit, ſed in proprium ac ſpeciale nomen pignoris videlicet deſcendit. l. hujus 1. §. ult. l. juris gentium 7. §. 1. ff. de. pact. idè n. contractus illi nominati dicuntur, quòd non retinent nomen ſui generis (conventionis ſc:) ſed in proprium & ſpeciale tranſeunt. d. l. 7. §. 1. ff. de. pact. undèq; & propriam actionem, de qua paulò poſt, non præſcriptis verbis producit. arg. l. inquam 13. ff. de. præſcript. verb. f) §. actionum 28. I. de act. non tantum quod fraus & calliditas ad alterum decipiendum comparata abeſſe ab eo debeat: (quo ſenſu omnes contractus bonæ fidei dici poſſunt l. bonam 4. C. de oblig. & act.) ſed quia hic amplius quid bona fides ſuggerit, & illud ipſum quod ita ſuggeritur liber ſus & uberius recipi poteſt ac debet, quàm in alijs contractibus, qui ſtricti ſunt juris. g) Nec enim niſi traditione ſeu rei interventu hic contractus

contractus fieri potest. arg. rubr. & §. ult. I. quib. mod. re contr. oblig.
l. si tibi 17. pr. ff. de pact. Veruntamen illa ipsa traditio interdum inclu-
ditur conventioni, interdum conventionem antecedentem sequitur l.
1 ff. de pign. act. b) Toto & omni debito, non ejus tantum parte
l. si rem 9 §. 3. l. solutum II. §. 1. 2. 3. 4. 5. ff. de pign. act. l. ex pignore I.
l. pignoris II. C. eod. l. si reddit 3. C. de luit pign. pignoris enim causa in-
dividua est l. rem hereditatis 65 ff. de evict. i) Ut si debitor quod si-
bi debetur donet debitori. l. debitoris I. §. 1. quib. mod. pign. vel hyp. solv.
quod fecisse videtur cum cautionem reddidit, vel reddere iussit l. la-
teo 2. ff. de pact. l. creditorem 7. C. de remiss. pign. Vel debiti nomine
sibi satisfieri permiserit, l. item liberatur 6. pr. quib. mod. pign. l. grege
13. §. 4. de pig. l. si rem. 9. §. 3. de pign. act. quod fit cum vel alia pignora
vel fidejussores pro hypotheca obligata acceperit, l. solvitur 5. §. 2.
quib. mod. pign. k) Dominium siquidem rei oppignoratae non in
creditorum transit, sed apud ipsum debitorem manet, l. pignus. 9. C.
de pign. act. nudam enim possessionem manente apud debitorem pro-
prietate nansciscitur l. cum & 35. §. 1. ff. de pign. act. consequens ergo est
quod eadem illa res quae à debitore creditori pignori nexa fuit, debito
sublato sit restituenda. arg. l. id quod nostrum. II. ff. de R. I.

I I I.

Contrahere, seu dare atque accipere pignus possunt ij
qui alienare^a & obligari^b aliis possunt, ut domini veri^c vel
quasi,^d & qui eorum loco habentur.^e

a) Non enim à quolibet pro suo arbitrio pignus constitui po-
test, sed ab eo tantum, qui pignus obligandi vel rem pignori dandi le-
gitimam personam habet. l. nexum. 8. C. si alien. res pign. Unde nec
pupillus sine tutoris auctoritate, l. pupillus pr. ff. quae res pig. nec minor
sine curatoris sui consensu rem suam pignori dare potest. arg. l. si
curatorem 3. C. de in integr. rest. min. l. eos qui 3. C. de his qui ven. at at.
impetr. l. imperatoris I. §. ult. ff. de reb. eor. qui sub. tut. nec mulier pro
alio intercedendo l. redemptores 39. §. 1. l. quia nullum 40. ff. de R. V.
l. conventio I. §. ult. de pign. l. quidam volunt. 29. pr. l. si mulier 32. §. I.
ff. ad SC. Vell. pro se autem pignus dare potest, quia in rem suam se
obligare potest. l. aliquando 13. pr. ff. ad SC. Vell. Obrecht. de pign. 9.
165. b) Creditores siquidem qui pignus accipiunt, ad id ipsum de-
bitum soluto pignoris contractu restituendum obligantur. c) l. quae
praedium

pradium 6. C. si res alien. pign. l. & qua 15. §. 1. ff. de pign. l. Titius 4. ff. que res pign. vel hyp. d) Ut Emphyteuta l. lex vectigali 31. ff. de pign. l. tutor 16. §. fin. de pig. act. Gail. 2. Obs 25. n. 6. Superficiarius l. grege 13. §. 3. de pign. l. etiam 15. ff. qui pot. in pign. Is cui Publiciana competit. l. si ab eo 18. de pign. l. si rem 29. de pign. act. Is qui ad tempus tantum est dominus. l. ubi autem 4. §. 3. ff. de in diem add. Usufructuarius. l. si is. II. §. 2. l. & qua 15. ff. de pign. e) Ut tutores & curatores cum Magistratus decreto l. tutor 16. pr. de pign. act. fac. l. tutor 27. ff. de admin. tut. Procurator pro domino l. si inter. 21. l. res hypotheca 5. §. ult. ff. de pign. add. Coll. Jur. Arg. lib. 20. t. 1. 0. 7.

I V.

Materia: sunt res promercales qualescunque^a specialiter^b alienari^c non prohibita.

a) Tam mobiles quam immobiles l. sciendum 15. §. 2. ff. qui satisd. cog. l. cum notissimi 7. §. 2. C. de praescript 30. vel. 40. ann. Mynsing. §. ult. I. quib. mod. re contr. oblig. etiam ipsa pignora, quae creditores suos creditoribus non bis aut ter, sed in infinitum usque toties quoties necessitas urget pignori dare possunt l. grege 13. §. 2. de pign. l. etiam 1. pr. C. si pign. pign. dat. l. debitor 40. §. ult. ff. de pign. act. Item nomina & Chirographa debitorum l. si convenerit 18. pr. de pign. act. l. nomen. 4. C. que res pign. oblig. l. nominis 3. l. postquam 7. C. de hered. vel. act. vend. b) Hoc est legibus vel natura alienari vetita. Legibus prohibita reperiuntur: Res litigiosa, quae nondum omnino nostrae sunt, sed in tali statu constituta, ut vel restituenda sint, vel plane amittenda l. pupillus 1. §. 2. ff. que. res pign. Fundus dotalis, qui nullam prorsus alienationem recipit t. t. ff. de fund. dot. Res pupillares l. lex. 22. C. de. admin. tut. l. venditio 1. C. de pred. vel. al. reb. min. Feudalia c. Imperialem 55. pr. de prohib. feud. alien. per. Frid. Wes. par. que res. pig. n. 2. Spes futurorum pramiorum, quae pro coronis Athletis pensanda sunt l. spem eorum 5. C. que res. pign. Instrumenta agriculturae inserviential. executores 7. l. pignorum 8. cum Anth. agricultores seq. C. d. t. Natura oppignorationem respuunt, quae extra nostrum sunt commercium, quales sunt: Res sacra, sancta & religiosa l. invito 2. C. de relig. & sumpt. fun. l. si. monumento 3. C. que res pign. nisi forte redemptionis captivorum causa obligentur l. facimus 21. C. de. SS Eccles. Na ecclesiastica bona non in usus privatos & civiles convertenda, sed ad pios



pios quorum causâ ordinata & instituta ut est redemptio eroganda sunt d. l. sancimus. & l. si quis 36. pr. C. de donat. Liber homo, licet filius familiâs l. qui filios 6. C. quæ respign. Verum qui ab hostibus redimitur, redemptori loco pignoris est, donec pecuniam redemptionis reddat. l. si. patre 15. ff. de. capt. & postlim. rev. l. senatus 43. §. 3. ff. de leg. 1. c.) Quia oppignoratio quædam est alienatio, l. ult. C. de reb. alien. non alien. Obrecht. de pign. 6. 323. & generaliter quæcunq; emtionem & venditionem recipiunt, etiam pignorationem recipere possunt l. sed. & 9. ff. de pign. l. pupillus 1. §. 2. ff. quæ. res. oblig.

V.

Forma seu modus contrahendi pignoris consistit in pactis & consensu^b contrahentium; eoq; expressè^c vel tacitè^d itemq; vel purè, vel conditionaliter^e declarato.

a) Quorum alia sunt licita alia illicita. Licita sunt, 1. Ut creditor fructus rei pignoratæ qui aliâs in sortem computari deberent l. ex pignore 1. l. quod 2. C. de pign. act. vel insuper aliquid aliud ultra sortem usurarum loco percipiat, quod pactum *antichresis* appellatur l. si pecuniam 33. & l. Cajus 39. ff. de pign. act. l. conventio 1. §. 3. l. si is 11. §. 2. ff. de pign. Neque hîc quicquam refert, licet ob fructuum incertitudinem & precium eorundem incertum, legitimum usurarum modum excedant l. si ea 14. l. si ea 17. C. de usur. quod tamen antichresis pactum in mutuo, agricolis sub pignore prædiorum dato, expressè prohibitum est Nov. 32. c. 1. Nov. 33. & seq. 2. Ut illud quod ex sylva natum factumque erit pignori cedat l. si convenerit 18. §. pen. ff. de pign. act. 3. Ut debitor creditori quidquid ejus aut rei oppignoratæ causa solverit, restituat l. epistola 52. §. pen. de pact. 4. Ut debitor creditore rem pignori nexam casu fortuito amittente liberetur. l. quæ fortuitis 6. C. de pign. act. 5. Ut debitor pignus vendere possit vel non possit l. sine 8. §. pen. de pign. act. l. si creditor 7. §. ult. de distr. pign. 6. Ut creditor quicquid ex pignoris distractione acquisierit, sive debitam quantitatem æquet, sive superet, sive non attingat, crediti loco sibi habeat l. secundum 20. C. de distr. pign. l. à Divo 15. §. 3. de re jud. plura licitorum pactorum genera vid. in Coll. Jur. Arg. lib. 20. t. 1. 6. 14. Illicitum pactum est lex commissoria, quæ pignoris proprietatem & dominium in ipsum creditorem transfert, si debitor ad certum & præstitutum diem debitam non solverit l. qui pactus 1. l. quoniam

*nam ult. C. de pact. pign. in tantum autem legis commissoriae pactum
ut iniquum & pignori contrarium improbat, ut ne juratum qui-
dem valeat. arg. l. non dubium 5. C. de LL. add. Coll. Jur. Arg. lib. 20. t.
1. 0. 15. Bach. vol. 2. disp. 1. 0. 6. lit. D. b) qualicumque (ita tamen ut
rei traditio accedat) sive verbis l. contrahitur 4. de pign. sive factis de-
clarato, siquidem non is tantum qui praesens verbis mentem suam
declarat, ac voluntatem exprimit consentire videtur, verum etiam is
qui cum res ejus obligata est, quod actum est, ratum habet. l. si in rem
7. C. si res alien. l. fidejussor. 26. §. 1. ff. de pign. c) quando nimirum
expressè & nominatim de re pignori danda verbis inter praesentes vel
literis inter absentes convenit l. creditor 23. l. cum tabernam 34. ff.
de pig. d) Cum ipso jure nullis expressis verbis ex praesumpta con-
trahentium voluntate res tacite obligatur, seu ex dispositione legis &
statuti introducitur possessione quoque ejus ad ipsum creditorem
perveniente. t. t. II. & C. in quibus caus. pign. Schneidev. ad §. item
serviana I. de act. add. Coll. Jur. Arg. lib. 20. t. 2. 0. 2. Gail. 2. obser. 12. & 2.
obs. 25. Mynsing. cent. 1. obs. 60. Wes. par. in quib. caus. pign. Coll. Jur.
Arg. lib. 13. tit. 7. 0. 3. e) l. idemq. 7. §. 1. de pign. l. si convenit. 4. ff.
de pign. act.*

V I.

*Finis ex parte debitoris est, ut magis ei credatur: ex par-
te verò creditoris, ut magis ei in tuto sit creditum.^a*

a) Est ergo hic contractus utriusque gratia introductus, tam
debitoris, quò pignore dato facilius id quod petit consequatur, quàm
creditoris, quò magis de credito suo recipiendo securus reddatur. §.
fin. I. quib. mod. re contrah. oblig. l. legata 9. §. ult. ff. de suppell. leg. l. hic.
§. 9. ff. de collat. quo pulchrè etiam alludit Martialis lib. 12. Epigram.
25. ita canens:

Cum rogo te nummos sine pignore, non habeo inquis,
Idem, si pro me spondet agellus, habes.
Quod mihi non credis veteri Thelesine sodali,
Credis colliculis, arboribusque meis.

V I I.

*Effectus est duplex: alius communis aliis etiam causis,
ipsam videlicet jus pignoris,^a ex quo creditor durante adhuc
debito potestatem habet persequendi^b ejus, & distrahendi^c:
B alius*

alius proprius, ipsa videlicet obligatio, ex qua soluto debito^d
actio oritur pignoratitia^e.

a) Pro securitate debiti in rebus debitoris creditori constitu-
tum. b) Actione quasi Serviana seu hypothecaria §. item Serviana 7.
I. de act. quæ est Prætoriana d. §. 7. & realis seu in rem l. pignoris 17. ff. de
pign. l. pignoris 18. C. eod. l. eos 19. C. qui pot. in pign. competens cre-
ditori l. in hac 3. §. 3. ff. ad exhib. contra debitorem l. persecutione 24.
C. de pign. seu quemcumque alium qui pignus possidet, ac restituendi
facultatem habet, aut etiam dolo malo fecit, quò minus possideat
aut restituere possit. l. si fundus 16. §. 3. l. si inter 21. §. ult. ff. de pign. l.
distractis 14. C. eod. ad consequendam seu recipiendam pignoris pos-
sessionem l. si cum 66. ff. de evict. l. debitor 10. ff. de pign. c) debitore
non solvente. t. t. ff. & C. de distr. pign. Wes. in par. n. I. d. t. Nec in-
terest utrum illud convenerit nec ne: l. si convenit. 4. ff. de pig. act. modò
nò expresso pacto jus distrahendi sibi metipsum creditor ademerit, quo
ipso tamen facto pignus quidem statim alienare prohibetur, postea
autem nihilominus distrahere potest si debitori cessanti ter id ipsum
denunciaverit: d. l. 4. quæ trina denunciatio non minus quam 30. dies
complecti debet arg. l. promissor 21. §. 1. ff. de constit. pec. l. ad perempto-
rium 68. cum l. seq. ff. de jud. Colleg. Jur. Arg. lib. 20. t. 5. §. ult. Obrecht.
disp. de pign. §. 372. Et per istam distractionem creditor non minus in
emptorem rei dominium transfert, quam si ipse debitor eam vendi-
disset l. non est 46. ff. de acquir. rer. dom. Precium autem quod credi-
tor ex pignore vendito percepit, omne ad debitoris liberationem fa-
cit, nec creditoris lucro cedit. l. rescriptum 12. §. 1. ff. de distr. pign.
Quod si aut planè nullus, aut non idoneus emptor inveniatur, tum
ipse creditor pignus jure domini possidere potest; observatis iis quæ
habentur in l. vetustissimam 3. C. de jur. dom. impr. d) vel aliter sub-
lato seu quocumque modo satisfactò. e) de qua in §§. seqq.

V I I.

Est autem actio pignoratitia^a directa vel contraria^b.
Directa, datur debitori^c contra creditorem^d ad hoc, ut is
pignus unà cum accessionibus^e restituat, f & damnum dolo
culpæve datum præstet g.

a) Quemadmodum pignoris vocabulum interdum latè ita ut
sub se etiam hypothecam comprehendat l. 1. pr. & §. 1. ff. de pign. In-
terdum

interdum strictè pro re tantùm mobili & tradita in iure accipitur: *l. plebs*
238. §. 2. ff. de V. S. l. si rem 9. §. 2. ff. de pign. act. ita quoq; actio pigne-
 ratitia, interdum generaliter pro actione etiam reali seu hypotheca-
 ria *l. rem alienam 41. ff. de pign. act. l. Titius 9. pr. ff. quib. mod. pign.*
 Interdum specialiter ac propriè pro actione personali ex contractu
 pignoris ortâ usurpatur, ut hîc & *§. ult. l. quib. mod. re contrah. oblig.*
l. si rem 9. §. 3. 4. ult. l. solutum II. §. 2. 3. 4. 5. 6. ult. l. si cum 13. pr. l. ele-
ganter 24. pr. & §. 12. ult. l. ult. pr. ff. de pign. rubr. & l. 1. 3. 4. 7. II. C. d. t.
 Duo autem sunt quæ omnino præcedere debent, ut hæc actio pigne-
 ratitia nasci & dari possit: Traditio scilicet pignoris: & Debiti ipsius
 solutio. Quod posterius intelligetur, si vel specialiter creditori debi-
 tum sit solutum, vel alio satisfactum modo, qui vim solutionis obti-
 neat *l. si rem 9. §. 3. l. solutum II. §. 1. & 4. seqq. ff. de pign. act. l. 1. l.*
pignoris II. C. eod. l. si reddita 3. C. de luit. pign. Nec refert per quem-
 cumque illa solutio fiat, sive per ipsum debitorem, sive per alium, *pr.*
l. quib. mod. toll. oblig. Quid si debitor invito creditori pecuniam of-
 ferat & creditor illam recipere nolit, num debitor obligatione libe-
 ratus erit? Neg. nisi pecuniam illam testatò obsignet, ac solenniter
 in locum publicum (ut hîc in die Müng & Spiræ in Camera Imp.
 Auf die Cangelen) deponat *l. nec creditores 10. C. de pign. act. l. si pri-*
usquam 8. C. de distr. pign. l. acceptam 19. C. de usur. quæ obsignatæ
pecuniæ depositio instar solutionis est l. obsignatione 9. C. de solut. l. si
reddita ult. C. de luit. pign. b) de qua vid. §. seq. c) cuicumque qui
pignus dedit l. pignoris. pen. C. de pign. act. licet res aliena fuerit quam
dedit l. si rem 9. §. 4. ff. d. t. est enim actio personalis, quæ datur pro-
pter obligationem inter dantem accipientemque contractam Wesen.
par. n. 7. de pign. act. etiam prædoni l. si pignore 22. §. 2. d. t. Collatâ
siquidem personâ debitoris cum creditore cui debitum nunc est solu-
tum, potior certè debitoris rem alienam oppignorantis quam credi-
toris conditio est; aded quidem, ut actione pignoratitiâ non solùm
rem ipsam quam obligavit, verùm etiam fructus repetere possit l. si
pignore 22. §. 2. de pign. act. Bach. vol. 2. disp. 1. §. ult. lit. C. Gail. lib. de
pign. sing. obs. 17. n. 1. Quapropter etiam Emphyteutæ & superficia-
riol. tutor 16. §. ult. cum l. seq. ff. d. t. Item tutoribus & curatoribus
dabitur l. solutum II. §. fin. l. 12. l. 16. pr. d. t. Non solùm autem debi-
tori qui rem pignori dedit, verùm etiam suis heredibus hæc actio da-
tur. l. si uxor 12. C. de pign. l. si creditor ult. C. si pign. pign. dat. d) l.

*aliena 20. §. 2. l. eleganter 24. §. 3. ff. de pign. act. l. 2. 4. 5. 7. C. eod. l. si
reddita ult. C. de luit pign. quo cum est contractum, & qui pignus ac-
cepit. l. debitor 40. §. 2. ff. de pign. act. & hujus heredem. l. nec credi-
tores 10. C. eod. l. creditor 20. C. de pign. l. si creditore 5. C. si vend. pign.
ag. Wes. par. n. 7. de pign. act. non autem adversus alium rei possessio-
rem, cum quo non est contractum l. petenti 27. ff. de pign. act. quam-
vis is malæ fidei sit: cum contra hunc sit rei vindicatio. t. t. C. si vend.
pign. ag. Datur & adversus tutorem & curatorem l. solutum. II. §. 6.
l. tutor 16. pr. ff. de pign. act. Item Procuratorem d. l. II. §. 6. Ut &
dominum servi vel patrem familiæ, cujus servus pignus accepit, l. si
creditor 28. §. 1. ff. d. t. l. sed. mihi. 3. §. 1. ff. commod. Quod si pluribus
res simul pignori data sit, æqualis omnium causa erit. l. aliena 20. §. 1.
ff. de pign. act. Cessat autem hæc actio cum res quæ pignori nexa fuit,
sine ulla culpa creditoris casu fortuito interierit l. quæ fortuitis 6. C.
eod. d) Quicquid enim pignori accessit, licet casu fortuito, restitu-
endum est, ut; Si per alluvionem pars fundo oppignorato accesserit,
l. si convenerit 18. §. 1. ff. de pign. act. Si ex ancilla pignori data partus
apud debitorem natus sit. d. l. 18. §. 2. d. t. l. partus. C. de part. pign. l.
grege 13. pr. l. Paul^o 29. §. 1. ff. de pign. act. Si in fundo pignori dato thesau-
rus inventus fuerit. l. si is 63. §. 4. ff. de acquir. rer. dom. Si pignore sibi
furto ablato actione furti intentatâ plus debito consecutus fuerit l.
creditoris 15. pr. ff. de furt. Nam, ut incommodum l. pignus 9. C. de pign.
act. ita quoque commodum non ad creditorem, sed debitorem per-
tinere debet l. si inter 21. §. 2. ff. de pign. l. secundum 16. ff. de R. I. f) l.
debitor 40. §. 2. ff. de pign. act. l. fundum 1. C. de distr. pign. l. si dominium
9. C. de pign. l. i. l. creditor 3. l. pignoris II. & l. ult. C. de pign. act. g)
qualem enim diligens paterfamilias suis rebus diligentiam adhibet,
talem quoque creditor rebus oppignoratis ad illas custodiendas vi-
gilantiam adhibere ac præstare debet. arg. §. creditor 4. I. quib. mod.
re contr. oblig. l. si cum venderet. 13. §. 1. cum ll. seqq. l. si pignore 22. §. ult.
ff. de pign. act. l. si creditor. §. l. 6. 7. 8. C. eod. l. si ut §. 2. l. in rebus. 18.
pr. ff. commod. l. utiq; 34. ff. de damn. inf. l. contractus 23. ff. de R. I. in
omnibus siquidem contractibus, qui utriusque contrahentis gratiâ
contrahuntur culpa levis præstanda est. d. §. creditor 4. I. quib. mod.
re contr. oblig. & d. l. in rebus 18. ff. commod. periculum sanè fortuiti
casus ad debitorem pertinet, quia ille pignoris dominium habet. l.
pignus 9. C. de pign. act. nisi creditoris culpa præcesserit, vel creditor
etiam*

etiam casus fortuiti periculum in se receperit. l. creditor 3. l. qua for-
tuitis. 6. C. d. t.

I X.

*Pigneratitia Contraria actio datur creditori^a contra
debitorem, b) ad hoc, ut is prestet id, quod ex pignoris causa cre-
ditori abest^c.*

a) Ejusque heredibus, ut & fidejussoribus, qui pignus eam ob
causam acceperunt, ut fidejuberent l. si rem 9. §. 1. ff. de pign. act. ex eo
quod debitor vel in pignore contrahendo creditorem circumvenerit
l. si in pignore 54. ff. de fidejuss. & mandat. vel aliàs malè in pignoris ob-
ligatione cum creditore suo versatus fuerit l. si rem 9. pr. ff. pign. act.
quod & tum fecisse videtur, cum creditori ignoranti rem alienam d. l.
9. pr. l. tutor 16. §. 1. l. si quis 36. §. 1. ff. d. t. l. si Titio 22. ff. de pign. l. qua
pradium 6. C. si res alien. pign. vel pluribus jam obligatam, ita ut
omnium debitis sufficere nequeat d. l. 16. §. 1. & d. l. si quis 36. §. 1. ff.
de pign. act. vel morbosam d. l. tutor 16. d. t. vel aliam pro alia, ut æs
pro auro pignori subjecerit. l. 1. l. si quis 36. pr. d. t. b) Et ejus he-
redes, quia actio est ex contractu rei persecutoria: cujus generis acti-
ones & heredibus & contra heredes dantur. §. 1. I. de perpet & temp.
act. Competit & contra procuratorem & tutorem l. solutum II. §. 6.
ff. de pign. act. Coll. Jur. Arg. lib. 13. t. ult. 0. 16. Sed adversus fidejusso-
rem debitoris qui pignus dedit hæc actio non datur d. l. si in pignore
54. ff. de fidej. & mandat. c) ut scilicet sumptus necessarios quos in
rem oppignoratam impendit recipiat. l. si necessarias 8. pr. ff. de pign.
act. l. creditor 7. C. eod. l. in summa 6. C. de pign. & cum in pignore
vendendo ut diligens paterfamiliàs versatus sit, idèdque ut carius
venderet duplam promiserit, ut re evictâ duplum quoque consequatur
l. si pignore 22. §. ult. ff. de pign. act.

X.

*Contraria actionis pigneratitiæ Directa propter que vel
actio nasci non potest, vel nata semel iterum extinguitur, in-
ter alia sunt: debiti^a non facta solutio, b) rei interitus, c) fa-
ctum^d & mutatio personæ debitoris. e) Contraria autem pigne-
ratitiæ actioni repugnant: scientia creditoris, f) impense in-
utiles, g) exceptio pignoris redditi. h)*

B 3

a) Et t



a) Et quidem totius: nam si unus ex heredibus partem suam non solverit *l. si necessarias* 8. §. 2. ff. de pign. act. vel si creditori plures heredes extiterint, & uni tantum ex his pars eorum solvatur, obligatio pignoris adhuc durat *l. solutum* II. §. 4. d. t. quia omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum, ut nascatur actio pigneratitia *l. si rem* 9. §. 2. ff. d. t. b) De qua §. 2. lit. h. cui etiam accommodari possunt ea, quae compensationis cujusdam vim obtinent, ut si convenerit, ut creditor rem pignori obligatam pro crediti sui compensatione ad certum tempus possideat. *l. Gajus* 39. ff. de pign. act. eoque lapso pignoris quoque obligatio finem suum sortiatur. *l. item liberatur* 6. ff. de pign. vel si fructus solutioni sufficient, qui fructus non in lucrum creditoris, sed in commodum debitoris, atque ita in sortem & usuras computantur. *l. si pignore* 22. §. 2. ff. de pign. act. *l. quod ex operis* 2. *l. creditor* 3. C. eod. *l. si is* II. §. 1. ff. de pign. *l. rescriptum* 12. §. 1. de distr. pign. *l. I.* C. eod. *l. cum pignoris ult.* C. de part. pign. *l. si dominium* 9. C. de pign. *l. ex praediis* II. C. de usur. Wes. par. n. 7. de pign. act. Schneid. ad §. 7. I. de. act. n. 74. adeo quidem, ut si plus debito ex pignore perceperit, debitori competat actio pigneratitia superflua *l. secundum* 20. C. de distr. pign. *l. eleganter* 24. §. 2. *l. creditor* 42. ff. de pign. act. c) Sine dolo tamen & culpa creditoris contingens. §. creditor ult. I. quib: mod. recontr. oblig. d) Veluti si debitori creditori pignus vendiderit *l. aliena* 20. §. 3. ff. de pign. act. *l. Titius* 9. pr. ff. quib: mod. pign. aut ei in solutum dederit, aut legaverit *l. creditor* 16. C. de legat. Coll. Jur. Arg. lib. 13. t. 7. §. 6. e) Veluti si bonae fidei possessor rem alienam pignori dederit, vicissimque a creditore precario rogaverit: & denique creditor vero rei domino heres extiterit *l. si rem* 29. ff. de pign. act. f) Scientis rem esse alienam, aut morbosam, aut pluribus obligatam &c. *l. tutor* 16. §. 1. ff. de pign. act. *l. I. pr. de pign.* g) arg. *l. si necessarias* 8. pr. ff. de pign. act. *l. creditor* 7. C. eod. *l. in summa* 6. C. de pign. h) *l. si quasi* 3. ff. de pign. act. quae tamen exceptio interdum per replicationem doli & fraudis, per quam nec redditum, sed per fallaciam ablatum intelligitur, evertitur. *d. l. 3. d. t.* Haecque pro instituti ratione de pignore & quae ex hoc oritur actione pigneratitia dicta sufficient.

F I N I S.

COROL-

COROLLARIA.

I.

An uxor in bonis mariti præferatur omnibus creditori-
bus etiã expressam anteriorem hypothecam habentibus? Aff.

II.

An Judæi in Repub. Christiana sint tolerandi? Neg.

III.

An coacta voluntas, sit voluntas? Aff.

AD PRAESTANTISS: ET
DOCTISS: DN, JOANN-HEINRI-
GUM GLANDORPIUM J. U. Studiosum
solertissimum, Fautorem & amicum,
charissimum.

JOANNES-HEINRICUS GLANDORPIUS.

Αναγεγραμμένη ὑμῖν.

PANDIN' JUS? INGENIO HEROS CLARUS.

Ingenio clarus magna virtute nitente
Quondam pandebat fœdera bina Parens.
Præterière quidem bis menstrua tempora quinq;
Queis Genitor mortis flebile trivit iter:
Nontamen interiit pariter GLANDORPIA virtus;
Mox erit HEINRICUS, quod fuit antepater.
Scilicet ingenio præclaro cardine moto
Valvas scit bifores pandere juridicas.
Oestro, quid? divo jus pandin' mactæ bicornæ?
Pandis: sic heros clarus es ingenio.

Juris

*Juris qui verus fons est tua pectora pandat:
Ut prudens possis pandere jura, precor.*

Commensali suo sinceri amoris ergo

F.


M. JACOBUS HONOLDUS,
SS. Theol. Stud.




Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

WDM





B.I.G.

Farbkarte #13

RIDICA

ACTIO
TITIA:

1623,4

27
34.
445.

mi Viri,
DIS LOCA-
LA ARGENTO-
celeberrimi, faculta-
is. Præceptoris ac
cultu excipiendi.

gratiã

Blandorff

TI,
DLERI,
III.

